

M I P S W R

1 6 7 3



281 11/604

~~A. M. L.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

F A. 139. —  
SIGNAT. 61515 CXCIII.



בְּהֵנוֹא  
נִפְרָלִים  
*seu de*  
**GIGANTIBUS**

DISSERTATIO  
HISTORICO PHILOLOGICA;

Occasione variorum Scripturæ Locorum,  
Gen. VI. §. IV. Deut. XIII. §. XXXIV.

Josuæ XIV. §. XV. &c.

*Quam*

*IN INCLUTA WITTEBERGENSIUM*  
*ACADEMIA*

*PRÆSIDE*

*Amplissimo atq[ue] Excellentissimo,*

*V I R O*

**DN. ANDREA SENNERTO**

Ling. Oriental. P. P. celeberrimo,  
Dn. Patrono, Promotore, & Hospite co-  
lendissimo,

*ventilandam publicè proponit,*


**M. CONRADUS TIBURTIUS RANGE**

Colbergæ-Pomeranus.

*Ad diem horis solitis*

*In Auditorio Majori.*

•\*•\*•\*•\*•\*•\*•\*•\*•\*•\*•\*•\*•\*•\*•\*•\*•\*•  
Litteris Hæredum MELCHIORIS OELSCHLE-  
GELII ANNO M. DC. LX.



I. N. R. J.

# נְפִילִים

seu De

## GIGANTIBUS DISSERTATIO.

### CAPUT I.

- |   |   |
|---|---|
| 1. <i>Gigas</i> unde dicatur?                   | 12. <i>Chaldaic</i> quomodo?                          |
| 2. <i>Lestrigones</i> dicti.                    | 13. זָמְפִים  |
| 3. Unde?  | 14. עֲנָקִים  |
| 4. <i>Anthropophagi</i> .                       | 15. Juncker unde?                                     |
| 5. <i>Cyclopes</i> unde dicti.                  | 16. גְבוֹרִים   |
| 6. <i>Alia</i> opinio.                          | 17. עַיִום  |
| 7. <i>Cyclopes</i> artifices.                   | 18. <i>Itali Hispani, Galli</i><br>quomodo appellant. |
| 8. <i>Tertia</i> derivatio.                     | 19. <i>Quot modis sumatur.</i>                        |
| 9. <i>Hebreis</i> דָפָאִים<br>vocantur & quare. | 20. <i>Goropii Becani de-</i><br><i>rivatio.</i>      |
| 10. <i>Nefilim</i> unde appella-<br>lati?       |   |
| 11. אֲמִים dicti.                               |   |

**G**I GAS. Vocabulum latitate r.  
donatum, Græcum origine, ut  
omnium Lexicographorū con-  
stans opinio est. Græcè γίγαντες  
est à γίγνομαι, sio, nascor: & γῆ  
quod Doribus est γῆ: natus ex terra, seu ter-

ræ filius. Ita FABER in Thesauro h. v. CORVI-  
nus addit: Rectè igitur èn tāç yāç y'vēd as  
vel yvōvōlpoi quod sīnt terra e filii, vel à terra or-  
ti dicantur. Sic enim ABYDENUS vetustissi-  
mus autor, apud Euseb. Primos homines ferunt  
è terra natos, robore & magnitudine confisos  
&c. FAZELLUS rerum Sicularum diligentissi-  
mus Scriptor Posterioris Decadis L. i. c. i. p.  
218. de Gigantum nomine ita scribit: Hos  
ob naturæ duritiem virium robur ac staturæ  
proceritatem, conficto ad opinionem suam no-  
mine, Gigātes appellavit Antiquitas. LAESTRI-  
GONES postea dicti fuere, Crescēte namq; eo-  
rum libidine, viribusq; indies ad nova sceleræ  
invalescentibus, novorum quoque nominum ac-  
cessionem meruere, atq; à Latrociniis, frequen-  
tibusq; in mediterranea ac finitimas Italiae re-  
giones excursionib; ad quas nati poti? quam in-  
stituti videbātur, ita sunt vocati: eodē notā-  
3. te. FAZELLO l. c. λησησ n. (idē quod λησησ) ex  
quo per Synæresin factum: prædatorem,  
prædonem significat. Inde λησησ, prædato-  
rius, ut λησησ ναῦς Navis prædatoria, vel  
λησησ θεος, λησησ ποιος, Prædationum agmen,  
quæ omnia sunt à λείᾳ præda, vide SCAPU-  
4. LAM. Lexico h. v. Anthropophagi postea appelle-  
lati, cum prædis haud quaquam contenti es-  
sent, neq; à sanguine, miserorumq; advenarum la-  
niena, ad diram usq; viscerum humanorū inglu-  
piem voracitatemq;, abstinerent. Est enim à  
Φα-

φάγω εδο & ἀνθρώπος, Homo. Inde ~~αὐτός~~  
φάγος, Hominivorus, s. homivorus, hu-  
mana carne vescens, qua voce PHILOSTR. in  
Herculeus: & Αἰγαίοφαγός, quæ ATHEN.  
est l. 7. & αἰγαίοφαγία, hominum devora-  
tio, esus carnium humanarum. Testis est  
VIRGILIUS L. 3. En. v. 622. de Polyphemo scri-  
bens:

Visceribus miserorum & sanguine vescitur atro;  
Vidi egomet duo de numero cum corpora nostro  
Prensa manu magna medio resupinus in antro  
Frangeret ad saxum, samicq; aspersa natarent  
Limina, vidi atro cum membra fluentia tabo  
Manderet, & trepidi tremeret sub dentib<sup>o</sup> artus.

Cyclopes quoque & à Poëtis & Histo- f.  
ricis dicti sunt. Pro ratione variorum au-  
torum, variis de causis: HESIODUS in Theo-  
gonia hanc reddit:

ἵνυκλωπες δ' ὄνοι· ἡστιν ἐπώνυμον, γένει καὶ  
ρεῖ σφέων.  
ἵνυκλοπες ὁ Θεᾶ λύος ἐών εἴνεκτο μετώπω  
h. e. Cyclopes vero cognomento erant, eò quod  
Circularis oculus inerat fronti (ipsorum  
Quod BONINUS MOMBRIUS Pairitius Medio-  
lanensis sic reddit:

Micat unus in ipsa  
Fronte oculus, curvusq; aurem sedet inter utram-  
que

Id Cyclops quod eis stat pro cognomine monstrat.  
Dicti aputantur Cyclopes ab eo quod oculum, u-

nū orbicularē in fronte haberent, κύκλος n. circulum significat, ὄψις lumen s. oculum CALEPINUS h. voce Lexico. Inde VIRGILIUS L. 3. Æn. v. 634. 635. scq.

— — — Una undiq; circum  
Fundimur, & telo lumen terebramus acuto,  
Ingens quod torva solum sub fronte latebat,  
Argolici Clypei aut Phœbea lampadis instar.

6. Ad quæ verba: torva sub fronte, alludere videatur BONINUS MOMBRIUS s. c. verbis:  
Curvōq; aurem sedet inter utramq; &c.

FAZELLUS tamen l.c. nomen hoc Cyclopū ad allegoriā à nonnullis referri afferit, quippe quib; non unus tantum naturā orbicularis in fronte oculus attributus, (ut fabule tradūt,) sed propter ingenium prudentiamq;, ac artes: quas Cyclides vocant: (quod illarum origo velit circuli initium latens sit:) & industrias Cyclopū nomine pervenerit. Verba FACELLI sunt. Artes dicit: iis enim tribuitur prima æris fabrica, ut Vulcani ministri credantur & Jovi fulmina fabricare. Inter hos præcipue celebrantur à Poëtis. Brontes, Steropes, & Pyracmon. Inde VIRGIL. l. 8. Æn.

Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,  
Brontesq; Steropesq; nudus membra Pyracmon.  
quem & vide in Ætna.

8. Non desunt tamen ex Græcis authoribus qui à Cyclope eorū Rege cognomentum hujuscemodi eos sortitos affirment. Idem FAZELLUS. Vide MARII

ARE --

ARETII. Patritii Syracusani L. de *Situ Siciliae*. Vidimus Nomina Græca latinitate donata, nunc ad Hebræorum nomina descendemus, quæ itidem varia occurunt, singula enodabimus.

Insigniuntur autem nomine רפָה & רְפָאִים vel per Aleph in fine, à rad. רְפָה Remisit, Remissus fuit, defecit &c. inde Gigas dicitur רְפָה quod horrenda statura sua animos aliorum debilitaret & remissos redderet. Hinc R. BECHAI scribit Deut. II. נְקָרָאִים רְפָאִים עַל שֵׁם שֶׁכֶל הַרוֹאָה Ide est: Vocantur רְפָאִים אֲוֹתָם וְרוּוֹ מִתְרָפּוֹת: propterea, quod, quicunq; eos aspiceret, manus ejus remisſe fierent: metu scil. unde & אִיטִים Terrores appellantur; quasi terrifici & formidabiles dicti. BUXTORFIUS. unde Achæmenides apud VIRGIL. L. III. Æneid. Polypheum tanquam terrificum describit:

- - - Domus sanie dapibusq; cruentis.  
Intus opaca, ingens, ipse arduus altaq; pulsat  
Sidera, (Dii talem terris avertite pestem.)  
Nec visu facilis nec dictu affabilis ulli.

Et versus 647. seq.

- - - Vastog; ab rupe Cycoplas  
Prospicio, sonitumq; pedum vocemq; tremisco.  
Optime verò v. 658.  
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

A 3

Et

Et vers. 679.

Concilium horrendum.

In Scripturæ S. codicè sæpius hæc vox occurrat, & à VULGATA retinetur, ubi tamen melius alii Interpretæ de Genere Gigantum, velut LUTHERUS die Niesen vertunt. Significat & רְפָאִים mortuos, huc alludunt quidam, quod homines ad illorum aspectum exanimes & consternatione perculsi mortuis similes redderentur. GESNERUS in Gen. c. VI. p. m. 156. SCHERAEQ. est à rad. רְפָאֵן sanavit, medicatus est, quasi diceret sani, validi, vel Sanitates, Nomen Gigantis in Nob. de cuius filius scribitur 2. Sam. XXI. 16. qui cum fuerit monstrosa magnitudinis, ideo omnes Gigantes & Tyranni dicti sunt רְפָאִים. Hæc ille in itinerario Psalterico seu Lexico in Psalterium David. rad. 1043. p.

10. m. 818. Idem censet PERERIUS. Porro vocantur גְּנַפְּלִים vel nudè גְּנַפְּלִיּוֹת Gen. VI. 4. Gigantes fuerunt in terra. הגְּנַפְּרִים חָנוּ בָּאָרֶץ à radice נְפָלָה dejicit, decidit. Defecit, ist übergelaufen/ein Überläufer worden. Sic usurpatur Jerem. XXXVII. v. 14. אֲלָל הַכְשְׁדוֹת אֶרְחָה נְפָלָה Ad Chaldeos profugis? quod LUTHERUS vertit du wilst zu den Chaldeern fallen. quod seq. v. repetitur. In hac ipsa significatione occurrit 2. Reg. XXV. II. Hinc נְפָלִים dicti quasi Defectores, quod per impietatem à Deo deficeront, vel quasi Defectores, qui immanni sua proceritate homines Cadere

dere facerent, ut scribit ABENESRA: *Vel quasi Irruptores, quod violenter in homines irrue- rent, eosq; opprimerent.* BUXTORF. Lexico h.v.  
It. RIVETUS in Gen.c. VI. Exerc. 1. p. m. 204. a.  
R. D. KIMCHI dicit, eos sic appellatos, quod ob grandia & vasta illorum corpora ceteri homines pavore illorum ceciderint: ut forsan Num. XIII. 34. *Universus populus quē aspeximus proceræ staturæ est*, ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere Giganteo &c.  
Hi enim recensentes animum planè abje- cerant. GERUNDINENSIS eos sic appellatos vult, quod lapsi essent à communi corpulentia, & excessissent patres suos in statura atq; potentia.  
RUNGIO in Gen.c. VI. 4. sic dicti sunt à Caden- dos, quia sicut grando prosternit segetes; ita hi erant latrones ac vastatores terræ ac pestes ge- neris humani.

Porrò & אַמְתָּה vocantur Deut. II. 10. II.  
ab אֹמֶת terror, formido, ab אַיִל inusit.  
rad. a quo est אַיִל formidabilis, R.  
SALOMON hic scribit: אַפִּים עֲרֵשׁ מָטוֹל עַל הַכּוֹיָה:  
Quod ita sonat: *Dicuntur properea, quod terror ipsorum projectus est super creaturas, i.e. homines alios.* Inde Chaldaicum אִסְתָּנִין Terri- 12.  
biles. Appellantur & זְמֻזְמִים Zamzumim ut 13.  
Deut. II. 20. Terra Gigantium reputata est et-  
iam ipsa, & in ipsa habitaverunt olim Gigan-  
tes, quos Ammonites vocant Zamzumim. Græ-

A 4. cis

- CIS OU ΜΥΙΩΕΣ, que appellatio ab impudenti illorum garrulitate & verborum horibili strepitu minarumque fremitu facta videtur. GESNER. in Gen. c. VI. l. c. LUTHERUS in Gen. c. XI. scribit, וְסַנוּמִים significare obstinatos, obfirmatos ad aliquid faciendum. B-E-R-R A-B. Sect. 26. Est unum ex septem nominibus Gigantum. BUXTORFIUS Scelestos denotare vult Lexico Chaldaico, Talmudico, Rabbinico. p. 73. rad. אֵם à זָמָה Scelus : vel cogitabundos, quomodo ONKELOS eos vocat, i. e. Abaris uafra ad laedendum, à זָמָה Deut. II. 21. Communi-  
14. ter in Scriptura Codice etiā עֲנָקִים insigniū-  
tur Deut. II. 11. Jos. XIV. 15. & alibi dicti ab  
עֲנָקָה quod est nomen proprium Gigantis celebris Nostri XIII. 30. quod postea ad omnes Gigantes traductum fuit, qui vel Anakite vel filii Anakitarum inde dicti sunt. Deut. II. & alibi R. SALOMON scribit sic dictos fuisse : שְׁעַמְנִיקִים חֶמֶה בְּקוֹמַתְךָ quod injiccerent terrorēm statuasua, Melius tamen dicitur ab ipsa radice עֲנָק torque cingere עֲנָק enim est torque. Enack enim cū Princeps esset, à Torque Torquatus dictus est. GESNERUS l. c. SCHERAEUS addit h. v.  
15. Inde fit ἄναξ & Germanice Jücker / quod tamen præter n & f nihil mutuatur ab : עֲנָק & melius scribitur Jung'herr / quasi Junger.  
16. Herr. Appellantur גְּבוּרִים Potentes, quod magni corporis magna essent vires. R. AB-  
BA

BA dixit: *Medulla ossis femoris erat octodecim  
cubitorum.* Rarius — **רָאִיר** Perversi ab וְוּחַ di- 17.  
cuntur , quod perverterent & vastarent  
mundum, juxta illud שׁוֹחֵת אֶשְׁׁעָנָם  
Ezech. XXI.27. in Codice Hebræo 32. Fue-  
runt & ipsi vastati e mundo, ut est Deut. II.  
24. Vide de his nominibus BUXTORIUM  
Lexico GESNERIUM l.c. GERHARDUM Item in  
Gen.c.VI. RUNGUM in Gen OTTONEM GUAL-  
TP. in eiusdem. ARNGRIM. JONAM Islandū in  
Crymogœa seu rerum Islandicarum libr. 1.  
c. 4.p.36. qui ex interpretibus, ut scribit, non-  
nulla ad hanc rem adducit. ITALI retinent. 18.  
Gigante GALLI corruptè Geant: quod & AN-  
GLI usurpant. HISPANI maxime ad deriva-  
tionem n. i. datam sua denominatione ac-  
cedunt , illi enim Gigantes Gigante à Hio  
de la tierra vocant. Gigantes seu homines  
de terra. Tribuitur vocabulum Gigantum  
in Scripturæ Codice hominibus quinq;  
modis illustribus: 1. vastitate corporis, 2. robo-  
re, 3. scientia ac potentia bellica, 4. Superbia  
suprahumanū modum, 5. qui propter in huma-  
nitatem formidabiles ac terribiles. Ps. XVIII. a-  
gilitas & velocitas indicatur Ps. xxxii. robur  
& fortitudo, Bar. III. proceritas , quæ infra  
hinc inde adducentur, vid. PERER in Gen. c.  
VI disp. 3.p.m.281. GOROPUS BECANUS Germ. 20.  
Kies à Belgico Kees quod est in altum affur-  
gere Kees op. Hieroglyph. p. 104.

A 5 CA-

## CAPUT II.

- |                            |                                    |
|----------------------------|------------------------------------|
| 1. Ordinis ratio.          | 10. Bartholino.                    |
| 2. Dubia questio.          | 11. Plinio.                        |
| 3. Autores, quinam negent. | 12. Reliquis Gigantum Wittebergae. |
| 4. Dari Gigantes probatur. | 13. Magdeburgi                     |
| 5. E Virgilio.             | 14. Wormatiae.                     |
| 6. Augustino.              | 15. Arnstadii.                     |
| 7. Historicis variis.      | 16. Objectio.                      |
| 8. Fazello.                | 17. Solvitur à Bartholo-           |
| 9. Scaligero.              | lino.                              |

1. **A**ntequā disquiram⁹ unde ubi, qualesve fuerint Gigantes, meritò quāriam⁹ An  
2. unquam fuerint Gigantes. Variè nobis respondet Autores, & adhuc sub judice lis est.  
Qui negent sunt, & qui affirment & rectius quidem plures: qui negant; conantur omnia quæ non solum in prophanis, sed etiam sacrī literis de Gigantibus leguntur, nunc figmentorum Poëticorum nomine, nunc per allegorias physicas, interdum etiam morales, eludere. ARNGRIMUS JONAS. s. l. c. Crimogeæ. Qui planè negant isti sunt, quibus cum AUGUSTINO res fuit L. 15. c. 9. de Civitate Dei: & qui illos sequuntur, h. e. Pagani & horum socii. Verba Augustini sunt: Quippe non credunt etiam magnitudines corporum longè ampliores tunc fuisse quam nunc sunt. Horum è numero quoq; esse PHIL.

PHILONEM libr. sing. de Gigantibus: non dubi-  
to, cùm omnia ea quæ de Gigantibus di-  
cuntur fabulosa apppellet, traducatque ad  
allegorias. Nec alieni ab hac sententia vi-  
dentur esse CHRYSOSTOMUS, DAMASCENUS,  
qui tamen potius de loco Gen. VI. occupati  
sunt. Sic & CYRILLUS vix excusari poterit,  
dum sub initium l. 9. aduersus Julianum scri-  
bit nimis generaliter: *Mos est divina Scriptu-  
ra, gigantes vocare agrestes & feroceſ & robu-  
ſos.* Saniores tamen omnes affirmant quæ-  
ſtionem ne & ipſi in luce historica, sole me-  
ridiano clariore, cœcutire vespertilionum  
instar, videantur. Nec tamen sine ratione  
& virorum fide dignorum Testimoniis, quæ  
omnia rejicere piaculo merito quis ducat.  
Adducemus itaque clarissimorum Histori-  
corum testimonia, exempla, ne imponere  
aliis videamur, Poetarum quoque. Monem-  
dum autē, non omnia quæ à Poetis scripta,  
fabulosa esse, licet fabulosa ſepius intermi-  
ſta, Testis itaque est VIRGILIUS l. 3. v 616 ubi 5.  
Achæmenides loquitur.

*Hic me dum trepidi crudelia limina linquunt  
Immemores socii vasto Cyclopis, in antro  
Deseruere, domus sanie dapibusq; cruentis  
Intus opaca &c.*

& quæ sequuntur ad versum 679.

Idem videatur in Etna & libr. V. Aeneid v.

35. Da

35. Daret em describit magna statura majorisque roboris virum.

- - - Caput altum in prælia tollit,  
Ostenditq; humeros latos, alternaq; jactat  
Brachia protendens. Et verberat ictibus auras.

Conferatur quoque HORAT. L.III.Od. 4.  
nec non OVIDIUS Metamorph. E. v. 352. seqq.  
quos volentes omittimus cum Testium lo-  
cum sustinere fortassis non possint. AUGU-  
STINUS. ut oculatus testis prodeat probet-  
6. que olim fuisse Gigantes, qui libro XV. de  
Civitate DEI cap. 9. scribit: Sed de corporum  
magnitudine plerumq; incredulos, nudata per-  
vestutatem, sive per vim fluminum, varioseque  
casus sepulchra convincunt, ubi apparuerunt  
vel unde ceciderunt incredibilis magnitudinis  
ossa mortuorum. Vidi ipse non solus, sed aliquot  
mecum in Uticensi littore, molarem hominis  
dentem tam ingentem, ut, si in nostrorum denti-  
um modulos minutatim concideretur, centum  
nobis videretur facere potuisse, sed illum Gigan-  
tis alicuius fuisse crediderim. Hæc ille. Addit:  
VIVES in Comm. in h. l. Feste Divi Christophori  
cū salutatum iſsemus illum, ad maximum urbis  
nostræ templum, ostensus est nobis dens molaris  
pugno major, quem dicebant esse illius. De quo  
an verum fuerit hac vice non disceptabili-  
mus: Vid. AUREAM LEGENDAM SANCTOR.  
qua vulgo Lombardica historia appellatur Le-  
gend. q̄s. per tot. Præsertim cū toti adhuc  
Histo-

Historiarum campi in hoc capite mensu-  
randi veniant. PLUTARCHUS in Sertorio Ga- 7.  
binium Historicum secutus, tradit. Antai se-  
pulchro in Mauritania à Sertorio ex indu-  
stria diruto, cadaver in eo LXX. cubitorum ma-  
gnitudinis repertum fuisse. PHILOSTRATUS in  
Heroicis: Hylli Herculis filii cadaver novem  
jugorum proceritatis in Phrygia jacere, & O-  
restis corpus in Nemea VI I. & Hiacis XI.  
cubitorum inventum refert. Adhac in  
Assyriorum agro Orontis fluvii preruptam  
ripam Ariadnis viri Æthiopis sive Indi (ut  
quidam dixerunt) cadaver XXX. cubi-  
torum magnitudine in lucem edidisse & in  
spelunca Sigei montis deprehensum cadaver  
Gigantis XXII. cubitorum, quem pro Trojanis  
pugnantem Apollo interfecerat. In Lemno Gi-  
gantis cadaver cum Calvaria plus quam dua-  
rum amphorarum Cretensem capace, à Mene-  
trate Stirensi repertum. Hæc PHILOSTRA-  
TUS in Heroicis. PLINIUS L. 7. c. 16. scribit: in  
Creta Insula monte convulso cadaver XLVI.  
cubitorum apparaisse. Libr. eod. 7. c. 2. tradit  
extare homines quinum cubitorum: quin Æ-  
thiopes ait octonum cubitorum. Lib. 6. c. 30. Syr-  
botam Gentem octonum altitudine cubitorum  
esse tradit. Se autem vidisse hominem decem pe-  
dum Lib. 7. c. 10. MELA libr. 3. c. 4. tantæ scri-  
bit proceritatis apud Indos reperiri homines,  
& corpore adeo ingenti, ut elephantibus etiam

ibi

ibi maximis sicut nos equis facile atq; habiliter  
utantur. Quid de Indorum Gigantibus di-  
catur vid. è GOTTFRIDI *historia Antipodum*,  
*infra capite s. n. 6.* COLUMELLA *libr. 3. c. 8.* Ro-  
manum fuisse civem Navium Polionem pede  
longiorem quam quenquam longissimum. In  
Monastryo Tavistoke Comitatus Devonshire  
visitur monumentum Ordgari & Manso-  
laum filii ejus, cui Ordulphi nomen, qui Gi-  
gas habitus, quod monumenti insolita &  
8. rara magnitudo ostendit. FAZELLUS, re-  
fum Sicularum scriptor accuratisimus L:  
i prioris Decad.c.6.scribit. Erix mons est in Si-  
cilia notissimus, mons Drepani hodie vulgo no-  
minatus. Ad hujus radices, qua orientem respi-  
cit, cum rustici quidam, Anno salutis 1342. pa-  
storali casæ fundande altius foderent in an-  
trum immensum in cederunt, in quo ingressi vi-  
rum portentosæ magnitudinis sedentem depre-  
henderant. (cujus rei novitate prosternati, ex  
antrœ ocyus fagam in oppidū, quod ad verticem  
est, capessunt, civibusque quod monstri viderint,  
referunt. Erycini exciti, armati antrum petunt.  
Ex quibus complures facibus incensis specum  
introgressi monstroq; (quod ut retulerant villi-  
ci, in conspectu habebant:) tandem proximiores  
facti, hominem non vivum, sed cadaver huma-  
num proceræ staturæ in sede positum, si sinistra  
manubacuto male nautici instar innixum, nul-  
lag; ex parte corrosum, cognoscunt. Tactus sci-  
pius:

iter  
di-  
um,  
Ro-  
pede  
In  
ihre  
uso-  
Gi-  
a &  
re-  
s L.  
Si-  
no-  
spi-  
pa-  
an-  
vi-  
re-  
, ex  
sem  
int,  
nt:  
um  
illi-  
ores  
má-  
stra  
ul-  
sci-  
bi-  
pionis cortex confestim in cinerem solvitur, quo  
clava plumbea, qua è terra ad manum usque se-  
dentis ascendebat, celabatur. Tactu & cada-  
ver aquè statim corruit; & in pulverem versum  
est. Tribus solum dentib⁹ molaribus ADMIRAN-  
DAE magnitudinis & anteriori cranii parte, a-  
liquot modiorum Siciliensium capace incorru-  
ptis ac firmissimis relictis. Meminit & hujus  
Exempli JOH. BOCATIUS l. 4. c. 68. Plurima  
hic FAZELLUS c. l. exempla refert quæ omnia  
huc transferre, loci angustia non patitur.  
Unicum è tot addam in rei fidem. Johannes,  
inquit, à Brachiis fortibus oppidi Mazareni  
comes cum Anno salutis 1516. ad vineæ quam  
sibi ibi plantaverat, tutelam domum fabricari  
jussisset, fundamētisq; camentarii fossam para-  
rent in cadaver hominis staturæ & cubitorum cir-  
citer XX. ligonibus impingunt &c. J. C. SCA-  
LIGER subt. CCLXIII. se in Nosocomio Medio-  
lani offendisse juvenem tantæ proceritatis ut  
stare non posset. Neq; enim potuerat, inquit, à  
Natura satis alimenti ad crasitudinem, robo-  
risq; proportionem meditari, itaq; jacebat, ex-  
plebatq; duos lectos simul junctos. De Pallantis  
corpo refertur à pluribus invento Anno Do-  
mini 1039. quod altitudine suamuros urbis Ro-  
ma æquarit. THOMAS BARTHOLINUS, excel- 10.  
lentissimus Medicorum Historiarum Ana-  
tom. Cent. I. Histor. 38. p. 157. In Galliâ juvencu-  
lam se vidisse testatur. Annorum XVIII. molis  
Gigani-

Gigantea sed parentibus pumilibus natam, cuius unica manus, inquit, tres viriles facile exequabat. qui p. 158. pergit: In Dania nostra passim in collibus campisq; tamuli extant cincti lapidibus, quos gigantum fuisse communis est fama: licet urnas sepulcrales effossi tegant cineribus repletas. Sunt & ex ornamentorum reliquiis de Gigantib<sup>o</sup> conjecturæ. Annulos habet in Museo Magnus VVormius, qui nobis pro armillis sufficienter. Ipse Fibulam æræ baltheo inserviando aptū possideo, dono D. JACOBI MATHIAE, quicin Cimbria eruta ejus ponderis est & magnitudinis, ut maximi Gigantis usibus dicatam nemo ambigat. qui paulo post p. 159. pergit Nullum fere Museum Giganteis dentibus carret. Qui non descriptione sed & figurâ postmodum Canini addit. PLATERUS l. 3. obs. Lucernia vidit ossa Gigantum, ex quorum proportione depingi skeleton curavit decem & novem pedes longum. De Gabbara (Arabs fuit) Claudi Cesaris ætate id est, circa annum Christi 43. PLINIUS tradit, fuisse novem pedum & totidem unciarum, i. e. septem brachiorum, ligneorum. cum una quarta, & una decima sexta: ait Cardanus. Fuere item (ait PLINIUS) sub D. Augusto, semipede addito (scil. ad Gabbaræ staturam, i. e. qui Gabbaram semipede excederent.) quorū corpora, ejus miraculi gratia in conditorio Salustianorū asservabātur hortorum. Pusioni & Secundilla erant nomina. Ajacis Telamonit  
magni-

magnitudinem ex Plautianæ testimonio , majo-  
rem adhuc fuisse CARDANUS ratiocinatur lib.  
ii. subtil. Et quid externa narrado prosequi-  
mur ? hæc WITTEBERGA nostra monstrat 12.  
Gigantis ossa : nec non MAGDEBURGUM , 13  
plurimæque Germaniæ civitates. WORMA- 14  
TIAE Anno 1657. lapidem vidi, Baculumque  
Mali magnitudine , ut supra quoque è FA-  
ZELLO relatum: qui Gigantis fuisse refertur.  
Et sanè redolet ille antiquitatem , Gigan-  
teamq; machinam. Nec parvæ moles lapi-  
dis, qui rotundam quodantem? sed oblon-  
gam figuram refert: clarius dicam Cylin-  
drum , in cuius latere utroque cavitas & in  
ipso centro foramen , quod baculi circum-  
ferentiæ convenit Gladium fuisse nonnulli  
existimant, lapidemque pondus addidisse,  
ver Knopf des Degens. Figura ejus hæc est:



B

ARNSTA- 15  
DII Comitū  
Schwarz-  
burgiorū se-  
de , in domo  
horto, quem  
celebratissi-  
mum habet ,  
adjecta, visi-  
tur Ancilla ,  
quam *κατ'*  
*ἴζοχν* ma-  
gnam

gnam appellant: die Grossē Magd, depicta,  
cujus statura plurimū nostrā excedit. Duæ  
man⁹ nostrarū, unā illā tegunt; & nec sic ho-  
diē nostrum ævum Gigantibus destituitur.  
Videatur CASSANION de Gigantib. cap. 6.

GOROPIUS BECANUS in Gigantomachia.

16. Dicit adversarius, hæc nostra esse, vel hu-  
mana, quæ fidem mereantur quidem, sed  
non necessariò: cum à testimonio humano  
consequentia non valeat. Adducta quoque  
membra & ossa Gigantū animalium aliorū

17. esse posse: exemplaque particularia non  
inferre totum Gigantum genus. Verū  
Respondemus, cum BARTHOLINO L. c.p. 162.  
de Plateri Gigante. Ne animalis alicujus cre-  
damus ossa fuisse præter procerum istam statu-  
num nullo animalium generi convenientem, qua-  
tuor osa invenit, quæ in homine TANTUM ea  
forma deprehenduntur, nempe, Pollicis os in-  
firmit, molam, calcis os, scapulam cum clavicula.  
Ita ille huic objectioni solidissimè respon-  
det. Quod exempla particularia attrinet,  
de iis non facimus conclusionem, E. fuit  
genus quoddam Gigantum: sed aliis moti-  
rationibus & argumentis, petitis ex ipso  
Scripturæ Codice, qui solidissima & plurima  
suppeditat: Quare ad enodanda Scripturæ  
dicta nos accigemus, quæ etiam totum Ge-  
nus Gigantum extitisse olim sufficienter o-  
stendent.

CA-

## CAPUT III.

- |   |                                       |
|---|---------------------------------------|
| 7. <i>Scriptura Gigantes exstisſe probat.</i> | 6. <i>Explicatur.</i>                 |
| 2. <i>Locus Num. XIII. explicitatur.</i>      | 7. <i>Quis Cubitus intelligendus.</i> |
| 3. <i>Locus Jos. XIV. v. ult.</i>             | 8. <i>Armorum quantitas.</i>          |
| 4. <i>Deut. III. v. ii.</i>                   | 9. <i>Locus 2. Sam. XXI. 16.</i>      |
| 5. <i>i. Sam. XVII. 5.</i>                    | 10. <i>Vindicatur.</i>                |
|   | 11. <i>Aliud monstrum.</i>            |

**N**unc ut ad Scripturæ Codicem perve-  
niamus, ipse non solum de corporum  
Giganteorum existentia, sed & de toto ge-  
nere Gigantum testatur: ut non credamus  
hinc inde tantum aliquando extitisse Gi-  
gantes, sed totum genus magnorum homi-  
num fuisse: quo faciunt quam plurima Scri-  
pturæ loca: Num. XIII. 33. 34. וכל-העם  
אשר־ראינו בחכמה אנשי מרות:  
ושם ראיינו את הנפוליים בני ענק  
מוד־הנפוליים ונחי בעינינו כחגבים  
וכן הינו בעיניהם 2.  
populus quem affeximus, procere est statura.  
*Ibi vidimus monstra quadam filiorum Enac,*  
*de Genere Giganteo, quibus comparati, quasi*  
*locusta videbamur, & ita visi sumus in oculis*  
*ipsorum. Ubi in fonte est vox וכל-העם &*  
*universus populus, qua vox non de u-*  
*no, sed tota gente dici potest, significat e-*

B 2                      nim

וְעַמָּם nim turbam, populum, plebem: ab  
peruit. quod sua multitudine operiat terram,  
& est nomen multitudinis, SCHERABO no-  
tante h. v. Unde & de multitudine anima-  
lium dicitur, ut Locustis &c. vid. BUXTORF.  
Additur porrò Filiorū Enacorum בְּנֵי עֲנָקִים כֹּזֶן הנְּפָלִים de Gigantibus, vel Giganteo  
genere, quod idem pluralitatem & totum  
Genus Gigantum sufficienter indicat. Ob-  
serva quoque, male hic à Vulgata nec  
non aliis Interpretibus poni loco Silluk  
Atnach. versu 34. cum loco (:) substi-  
tuendum sit (.) Jof. XIV. v. ult.

3. וּשְׁם חֶכְרֹן לְפָנָם קָרִית אַרְבָּע הָאָרֶץ הַגְּרוֹן Nomen Hebron ante vocabatur  
Kiriath Arba, homo maximus inter Enakim  
iste: quod de Individuo quodam agit, &  
quidem nomine Arba, opinante LUTHE-  
RO ad marginem, ubi addit von Arba einem  
Riesen also genand / wie wir Deutschen sagen  
Karlstadt/Arnstadt. Ubi additum contra  
sensus Scripturæ à Vulgata, Situs est: cum  
hujus nihil in textu sit. Sic & Deuter. III. II.
4. בֵּין רַשְׁעָג מֶלֶךְ הַכְּשָׂנָנָה כִּיתָר  
הַרְפָּאִים הַנְּרָא אַרְשָׁו עֲרֵש  
כְּרֹזֶל הַלָּה הָא בְּרָכָת בְּנֵי אַמְּנוֹן  
תְּשֻׁעָה

חַשְׁע אָמֹת אֶרֶבֶה וְאֶרֶכֶע אָמֹת

רְחִכָּה בְּאַמְתָּה־אִישׁ: Solus Og Rex Basan  
reliquis fuerat de stirpe Gigantum, & monstratur lectus ejus ferrens, qui est in Rabbath, filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis, ad mensuram cubiti virilis. Et v. 10. Basan vocabatur terra Gigantum. I. Samuel. cap. XVII. 5. scribitur

וְזַעֲא אִישׁ־הַבְּנִים מִסְחָנוֹת פְּלַשְׁתִּים

גָּלוּת שָׁמוֹ מִנְתָּה גְּבָהִי שְׁש אָמֹת וּרְהָה:

Et egressus est vir inter utrosque, de Castris Philistinorum nomine Goliath, altitudinis sex cubitorum & palmi. Et cassis area super caput ejus, & lorica squammata induebatur, porrè pondus lorice ejus quinque millia Siclorum aris erat, & ocreas areas habebat in cruribus, & clypeus areus tegebat humeros ejus: Hastile autem hastae ejus erat quasi liciatorum texentium, ipsum autem ferrum hastae ejus sexcentos siclos habebat ferri. VI. Cubitos reddit LUTHER<sup>o</sup>. Sechs Ellen und einer Hand breit/ 6.  
intellige mensurarias ulnas, Werck Ellen /  
quarum qualibet continet mensuram 24  
digitorum: notante GERHARDO cap. VI. Gen.  
part. 3. q. 1. p. 104. & sic quilibet Cubitus duob<sup>o</sup>  
ferè pedib<sup>o</sup> æquaretur; quæ & opinio PETRI  
MARTYRIS Com. in 1. Sam. XVII. est: qui ex  
prefatis verbis dicit. Longissimi ali quig<sup>o</sup> homi-

ues habent in longitudinem quatuor cubitos ;  
iste habuit senos & palmum. Fuit ergo tertia par-  
te ac eo amplius quovis alio milite procerior.  
Quod verum est si de mensuraria ulna seu Cu-  
bito intelligas: ( quamvis non ignoremus  
aliorum sententias circa Cubitum , quas  
partim in medio relinquimus , partim pla-  
ne rejicimus. Vid. HENISCHIUS *Tract. de Aſſe*  
& *part. ejus b.v. Cubitus.* B. ARIAS MONTANUS  
in *Thubal Cain.* PETRUS MARTYR c.l. PERERIUS  
in *Gen. c. VI. disp. V.* GERH. in eund. l. aliqui plu-  
res.) qui ex proportione hominis facile

7. patescit. Nec alium h.l. posse intelligi Cu-  
bitū hoc modo evincimus, quod & PERERI-  
US notat; Si magni intelliguntur cubiti, vel  
**ORIGENTIS** Geometricus, qui 6. cubitos con-  
tinet, vel quivis alias major nostro, seque-  
retur observata corporis humani propor-  
tione, Davidē caput Goliathi portare non  
potuisse, ( corpus enim Goliathi longum  
esset pedes 54. caput vero octo pe-  
dum, hoc enim est 7. pars de 54. quæ propor-  
tio capitis ad corpus est ) cum ipso por-  
tante majus fuisset. Sed nec minor quam  
6. cubitos ante dictos esse potuit, non enim  
sufficeret tantæ moli armorum, cum jam-  
dum plurimum ponderis ad qualitatem  
8. quam quantitatem referatur. Numerabi-  
mus enim tantum ea, quæ in sacro Codice  
adduntur arma numerata: scil. pondus lo-  
rica

ricæ fuit 5000 Siclorum h.e. pondus 2500  
Philippicorum (nam ea Sicli proportio est,  
h.e. 156. librarum : si 16. Philippicos pro li-  
bra sumas. Ferrum hastæ 600 Siclorum h.e.  
300. Philipp. hoc est circiter 19. libra-  
rū. Facit 175 libras, excepta galea, ocreis, &  
clypeo. Homo autem justæ staturæ com-  
modè 1000 Philippicos nequit portare, hic  
vero fere 7000. si mille tantum pro galea  
ocreis & clypeo addas : ex quo patet pro-  
portionem quantitatis in duplum fere cre-  
visse, sed qualitatis, puta roboris, in qua-  
druplum. Sed diutius Goliatho scrutando  
immoramus alii nos expectant Giganteæ  
molis homines, & fortassis provocatores,  
uti hic populum Israeliticum probris affi-  
ciens. Horum Cap. XXI. 2. Sam. plenum 9.  
fatis est. v. 16. וְשָׁבֵי בֶּןְבָּנָיו אֲשֶׁר־ בַּיִלְעָד

חרפֶץ ומשקל קינו שלש מאות  
טשך נחתת והוא חגור חדש

Tum Jisch-bi-benob, qui erat e natu cuiusdam  
Gigantis, cuius mucronis pondus erat trecento-  
rum Siclorum pondus, ex chalibe, eratque ac-  
cincto novo. Ubi observa Interp. quendam male  
addidisse huic versui verba præcedentis  
versus: Cum autem defatigatus esset David,  
Cum tamen manifeste reclamat Accentus,

B 4 (: ) qui

(:) qui facit finem versus : non verò Tipcha. (:) quod est in voce פְּרִשְׁתָּהִים quod benè à JUNIO & TREMELLIO, ARIAMONTANO, ANGLICANIS & aliis observatur. v. 18. Occiditur Saph , itidem de genere Gigantum. Tunc percusit Sibbechai Chusaihites

את־סָפֶן אֲשֶׁר בַּיּוֹדֵה חֻרְפָּה :

h.e. Saph, qui in natis Harapha. vertēte ARIAMONTANO. OSIANDRO, de stirpe Gigantum. Quo modo fere & JUNIUS & TREMELLIO & alii. Vers. 19. Elhanan interfecit אַחֲגָלִיקָה חַגְתִּי וְעַז חַנְתוֹ כְּמָנוֹר אַרְנוּם :

10. Goliath Gitthaeum, & lignum hastæ ejus, velut liciatorium texentium. Dicat quis, Goliath jam ante occisus , de quo hæc verba recitantur i. Sam. XVII. Respondet Petrus Martyr. Non est ille primus Goliathus, ut quidam volunt, locus enim & tempus non congruent, ille occisus est in juventute Davidis in valle Therebinti. Clari' dicet loc⁹ i. Paral. XX. 5.

וְעַז אַלְחָנָן בֶּן־וְעַז אַת־לְחָמִי אַחֲי

גָּלִית חַגְתִּי וְעַז חַנְתוֹ כְּמָנוֹר אַרְנוּם :

h.e. Percusit Elhanan filius Jahiris Lachmin fratrem Goliathi Githei : & hastile ejus erat sicut liciatorium textentium. Ubi iterum varias Interpretum observa versiones, LUTHE-

R I-

rique triumphum. PETRUS MARTYR. in Lo-  
cum i. Sam. XVII. scribit: *Iste Goliath in i.*  
*Paral. XX.* dicitur habuisse fratrem Lami  
interfectum ad Belana in bello, quod David  
gessit adversus Palestinos. Videntur utriusque  
fuisse filii Rapha. Porro sequitur nonGigan- II.  
tex solum statura, sed præterea notabiliter  
mōstrosæ homo: qui itidē filius Rapha: v. 20.

וְתַהַר־עֹד מָלֵחֶמֶת בָּנָת וּוְרוּי אִישׁ  
מְדוֹן וְאַצְבָּעַת יָדוֹ וְאַצְבָּעוֹת רְגָלוֹן  
שְׁשׁ וְשָׁשׁ עֲשָׂרִים וְאֶרְבָּעַ מִסְפָּר  
וּגְם — קֹהֶה יָלֵד לְהַרְפָּחָה :

h.e. Fuit adhuc bellum ad Garb, eratque vir  
mensura (magnus) cuius digiti manuum &  
digidi pedum sex & sex, viginti & quatuor nu-  
mero, & ipse quoque natus erat eidem Gigan-  
ti, quem locum vide i. Chron. XX. v. 6. Ju-  
dicum I. v. 10. Percusit Juda Scheschajum,  
& Achimanem, & Thalmajum, qui Jud.  
XV. v. 14. vocantur de stirpe Enac. Præter  
hæc Scripturæ loca Vide Genes. IV. 5. cap.  
XV. 24. Deuter. II. II. 20. Jos. XII. 4.  
cap. XIII. 12. plurimaque  
alia.

A 5 CA-

## CAPUT IV.

- |                                   |                                 |
|-----------------------------------|---------------------------------|
| 1. <i>Gigantum origo inve-</i>    | 12. <i>Gigantes statuta in-</i> |
| <i>stigatur.</i>                  | <i>telligunt quidam.</i>        |
| 2. <i>E terra nati.</i>           | 13. <i>Tyrannos alii.</i>       |
| 3. <i>Orpheo teste.</i>           | 14. <i>Objectio solvitur.</i>   |
| 4. <i>Hesodo item.</i>            | 15. <i>Quæ vera Gigantum</i>    |
| 5. <i>Ovidio.</i>                 | <i>origo.</i>                   |
| 6. <i>Homeri opinio.</i>          | 16. <i>Mariani Valguarne-</i>   |
| 7. <i>E Daemonum con-</i>         | <i>ræ opinio.</i>               |
| <i>gressu nati.</i>               | 17. <i>Thucidides corrigi-</i>  |
| 8. <i>E fragmendo Heno-</i>       | <i>tur.</i>                     |
| <i>chi probatur.</i>              | 18. <i>It. Philostratus.</i>    |
| 9. <i>Filiū Dei qui dicantur.</i> | 19. <i>Poëtarum fabulae ve-</i> |
| 10. <i>Locus Gen. VI. expli-</i>  | <i>ra continent.</i>            |
| <i>catur.</i>                     | 20. <i>Natalis Comitis My-</i>  |
| 11. <i>Variae versiones.</i>      | <i>thologia.</i>                |

1. **Q**uod fuerint extiterintque Gigantes sufficienter probatum esse arbitramur: Unde fuerint & quænam eorum origo nunc disquirendum est. Præmittimus autem meritò varias variorum, et si falsas opiniones. C. i. n. 1. diximus, *Gigantum* nomen idem significare quod terrâ genitos vel terræ filios: Poetæ, qui illorum mos est, traducentes hoc ad suum negotium, fabulosè tradiderunt: *Gigantes* è terra cœlīg, sanguine natos fuisse, quo tempore *Saturnus* pudenda *Patris* abscidit. Inde *ORPHEUS* lib. 8. *sacrifermonis.*

*Hoc*

Hos ideo superi cuncti dixere Gigantes  
Et terra quod sint nati & de sanguine Cœli.  
Et HESIODUS in Theogonia. 4.  
Sanguine & quotquot gutta cecidere, recepit  
Terra omnes eadem rursus volventibus annis  
Horrendas peperit furias magnosq; Gigantes.

Hanc secutus opinionem ACUSILAUS:  
APPOLLIDORUS tamen l. i. Terra filios tantum  
fuisse existimat ab irata Opi sive Terra editos in  
locum occisorum Titanum. OVIDIUS item l. 5. 5.  
Faſtorum:

Terra feror partus immania monstra Gigantes  
Edidit. ——————

HOMERUS Odys. & Neptuni & Iphimedea filii- 6.  
os existimavit. Alii ad Generationē Gigantum  
transeunt, quæ fit ex commixtione  
Dæmonis cum muliere. His annumeran-  
dus AMBROSIUS, AUGUSTINUS, JOSEPHUS,  
SEVERUS SULPITIUS, FRANCISCUS GEORGIUS 7.  
TOSTATUS in cap. VI. Gen. q. 6. VALESIUS sacr.  
Phil. c. 8. DELRIO, Disq. Mag. JONSTONO teste  
de Natura Constantia propoſ. V. Art. 2. pag. 53.  
aliique. Horum fundamentum est locus  
Scripturæ Gen. VI. 4. הַנְּפָלִים תֵּיו בָּאָרֶץ

בְּוּמִים הַזְּמָן וְגַם אֲמֹרִיךְן אֲשֶׁר  
יָבֹאוּ בְּנֵי הָאֱלֹהִים אֶל־בְּנוֹת הָאָדָם  
וְלֹדוּ לְחַם הַמְּחוֹןְבָּרִים אֲשֶׁר לְעוֹלָם  
אֲנָשִׁי

: אֶנְשֵׁי הַשָּׁמֶן Gigantes autem erant super terram in diebus illis, postquam enim ingressi sunt Filii Dei ad filias hominum, illaeque genuerunt, isti sunt potentes à seculo viri famosi.

Non aliter existimantes quam per בָּנִים אלֹהִים intelligi Angelos ut statuit PHILOL. de Gigantibus JUSTINUS, ATHENAGORAS CLEMENS l. 3. Stromat. TERTUL. de vera virginitate. LACTANTIUS l. 1. c. 14. Sulpitius SEVERUS l. 1. Historiarum Scripturæ in Orthodoxo. Tom. 1. pag. 500. nominantque Angelos Abram & Ahaelem. F R A G MENTUM HENOCHI tamen ex quo originem opinio trahit, plures recenset, vide-

8. licet 20. quorum princeps Lenixas. Et factum est (inquit fragile illud fragmentum) cum multiplicati fuissent filii hominum, nataeque ipsi filiae pulchrae & decoræ, ut eorum amore flagarent Egregori, & unus alterum seduceret &c. Et paulò post: acceperunt sibi ipsis mulieres & incepérunt contaminari in ipsis, usque ad diluvium, pepereruntque ipsis tria genera (hominū) Primum genus erant Gigantes &c. Stat quoque ab illorum parte Græca quædam versio, ubi filii DEI vocantur Angeli; quæ tamen corrupta est, aut non authentica: quod etiā AUGUST. L. 15. de Civit. Dei c. 23. observat. Septuaginta Interpretes, Angelos Dei dixerunt illos & filios Dei, quod

9. quidem non omnes codices habent. Verum h. l. non Angelos sed filios hominum אלֹהִים

num significat & quidem piorum, quibus  
oppontuntur בְּנֵי הַאֲרֹם filiæ hominum  
h.e. impiorum S.Cainitarum בְּנֵי אֱלֹהִים  
enim non nisi bonis Angelis tribuitur, in  
quos nefarium hoc flagitium non cadit,  
quæ expositio etiam cùm ABEN ESRAE O-  
pinione convenit, qui per filios Dei intelli-  
git homines verum DEUM agnoscentes;  
AUGUSTINI item l.15. de C.D.c.21. qui ita : Filiæ  
DEI dicuntur, vel quia tales olim fuerant, vel quia  
eorum Majores hanc appellationem obtinuerant,  
& THEODORETUS inquit 47. in Gen. Filiæ  
Dei nominabantur sicut nos à Christo dicimur  
Christiani. Ut de MERCERI aliorumque ex-  
positione brevitatis gratia non simus solli-  
citi. Cadit itaque Gigantes ex congressu  
Dæmonum cum milieribus ortos, vel ex i-  
psa genuina textus expositione. PERRERIUS 10.  
ut illum ISMAEL BULLIALDUS Episto-  
la qvadam nominat, Præ-Adamitarū pla-  
stes. System. Theol. L.IV. cap. VII. p. 217. Na-  
tos Gigantes, ex filiis Adami, qui postea  
Judæi dicti, & filiabus gentilium existi-  
mat: juxta suā hypothesin melius vix poten-  
rat. Etenim, inquit, cum vegetes & fortes Ju-  
dæi a recenti formatione, qua Deus optimè habi-  
tos compegerat, ingressi essent ad filias ho-  
minum: Ratione illa qua fortes creatur forti-  
bus, & divinum humano commixtum, heroas ge-  
nerat: creavere Filii Dei, filiabus hominum co-  
misi.

- misti, Gigantes; i.e. heros, & viros fortes. Ita ille  
cuius opinio cum hypothesi cadit. Manet quoque adhuc sub judice lis, an h. l. recte intel-  
ligatur Gigantes. Indeq; à nobis hic locus,  
ad probationem alias adducendus, jure o-  
missus fuit, de quo nunc videbimus: quæ  
controversia in vocis *הַנֶּפֶרִים* Homonymia  
(quam scientes volentes c. i. omisimus.)  
enodanda consistet, circa quam plurimi  
ante nos occupati fuerunt. VULGATA ver-  
tit Gigantes, cuius versionis veritatem, licet  
non planè rejiciat PERERIUS, labefactat ta-  
men quodammodo: errareque existimat  
in eo quod colligat ex illo congressu filiorū  
Dei cum filiabus hominum primum natos  
Gigantes, cum tamen jam ante exstiterint.  
13. AQUILA reddit οἱ επινίτρων γε, iruentes: SY-  
MACHUS οἱ βιαιοι, violenti. LUTHERUS Tyrann-  
nen, PISCATOR Riesen: ex qua versionum  
varietate, varietas sententiarum manifestè  
apparet. Plurimi supra citatorum (n. 7. cap.  
4.) arbitrantur intelligi Gigantes statura,  
natos è concubitu dæmonum &c. Alii vero  
Gigantes staturā, ferocissimos homines,  
crudelesque: huic subscribit DRUSIUS Com.  
*ad loca diff. Gen. p. 34.* PERERIUS in h. l. JUNIUS  
& TREMELLIUS. Et hanc sententiam veriorem  
14. esse PERERIUS, cum sua sit, pronunciat. Alii  
Tyrannos tantum intelligi arbitrantur, ita  
censet CASSIANUS. Defectores. AQVILA Sym-

MA-

MACH<sup>o</sup>, PHIL<sup>o</sup> JUD<sup>o</sup>, qui prolixius videatur apud PERERIUM. JOSEPHUS L. i. Antiq. CHRYSOSTOMUS, DAMASCENUS, CYRILLUS, SIXTINUS ab AMAMA, RIVETUS. Excell. Claris SENNIERTUS. P.P. hujus Academie Lingua- rum Celebratissimus, Praeses hujus dissert. Dn. Patronus Promotor ac Hospes colendissimus in sing. disputatione. quæ cum uberioris hac de materia tractet, nolo ista huc transcribere. Quam merito etiā nostram facimus. PER- RERI<sup>o</sup> L.C. Gigantes nō staturā sed qualita- te intelligit: verba sunt *Gigātes*, i.e. *Heroas & viros fortes: quales explicātur loco eodē per po- tētes & viros fama seculo suo illustres.* Non 15. enim obstant loqua Parallelia quæ נְפָרִוִים Gigantes esse ostendunt, qualia supra c. 3. adducta, non enim ibi vox נְפָרִוִים hoc e- vincit sed circumstantiae, additur enim sta- turæ proceritas, armorum quantitas &c. Unde facile Gigantes fuisse colligi potest. Nec tamen ideo negamus Gigantes ante diluvium extitisse, sed tantum ex h.l. pro- bari posse negamus, contrā VULGATAM & PISCATOREM. Quænam ergo vera & genuina 16. Gigantum origo? Num singulariter à DEO creatos quis assereret? Et si naturaliter geni- tos asseramus, quis contradiceret? Si enim natura hominis aberrare potest in defe- ctu, ut *Pygmæos & nanos* proferat, quidni & in excessu peccaret, proferendo Gigantes seu

ma-

maximæ staturæ homines? E' Pygmæo Gigantem natum scimus, exemplumque aliud ex BARTHOLINO supra adduximus cap. 2. Quidni ergo è justæ staturæ homine staturā excedentem nasci posse credamus? Cluverius in Sicilia antiqua libr. 1. c. 2. asserit: Elisa, Javanis Filii, Japhetis nepotis, Noachi Pronepotis, fuisse posteros, ac primis statim post terrarum inundationem temporibus, post confusione ad Babylonem primævel linguae in gentium per omnem orbem dispersione, in Insulam hanc trajecisse: ex doctissima dissertatione sagacissimi Viri MARIANI VALGUARNERA libr. de primis Sicilie, Italieq; cultoribus. Hi an

18. Cyclopes fuerint dubitatur. Malè itaq; antiquus Auctor THUCYDIDES neque

20. genus eorum, neque unde venerint, nec quo abierint compertum se habere, scribit: Verba ejus sunt: ἔτε τὸ γένος ἔχειν εἰσῆν, ἔτε ὄποθεν εἰσῆλθον, οὐδὲ απεκάρεται.

19. PHILOSTRATUS planè originem Poetarum fabulis ascribit. Δίειν δὲ Σαῦμα ὅμηρός, αποτεμάνει τὸ λόγον, ηγήσαντος οὐδετερού μᾶλλον. δέ εὖ κυκλώπων τὸ αὐτῷ ἐπενόηθη γένος γδαμάτης γῆς Φύντες. Καὶ τρυγόνες τὸ αὐτεπώθησαν. οὐδεὶς διέβη ὄπιγενοιδηροι. Id est: Percurrit hac Homerus; Troicum abscindens sermonem, Ulyssiq; potius eum dedicans propter quem Cyclopum ab eo excoxitatum est genus, quum nusquam terrarum

fuerat

Gi-  
ud  
z.  
rā  
B-  
ca,  
ie-  
a-  
io-  
m  
nc  
sa-  
br.  
an  
ue  
ue  
ec  
ri-  
eiv  
pe-  
ca-  
n-  
O  
te-  
u-  
t8  
s;  
us  
x-  
m  
ue  
fuerint ; expressique Lestrygones, quos nemo  
nbi unquam fuerint novit. Mirum tamen  
cuiquam non accidat Poetarum fabulas in  
hac re varias esse, vera enim falsis miscue-  
runt, ut quasi melle obducta, felle plebi in-  
gratior ameriorque, antiqua partim histo-  
ria, partim Philosophia, iterum producere-  
tur. Eleganter hæc VIRGILIUS in *Ætna*.

Mentiti Vates Stygias undasq; canesq;.

Norunt bella Deum, norunt abscondita nobis  
Conjugia & falsa quoties sub imagine peccant  
Taurus in Europen, in Lædam candidus ales,  
Juppiter ut Danae preciosius fluxerit imber.  
Debita carminibus libertas ista. - -

21.

Quæ omnia eleganter NATALIS COMES  
in *Mythologia pro more exponit*, qui non  
minus occupatus in enodanda Gigantum  
historia lib. 6. c. 21. allegoriisque Poetarum  
evolvendis. Cujus verba et si mutila, muti-  
lo tamen neutiquam sensu, adducam. *Di-*  
*eti sunt, inquit, Gigantes Terra & Cœli filii, ex*  
*parricidio propè nati, & ex crudelitate Satur-*  
*ni in Patrem, quia nihil propè boni ex adulter-  
rio & illegitimo congressu nasci consuevit. Alii*  
*tamen Neptuni & Iphimedæ filios putarunt,*  
*quia crudeles & inhumani. Neptuni dicuntur*  
*Fili, quippe quorum corpora, ob humorum copi-*  
*am à Sole minimè digestorum, bonitatem mo-*  
*rum nesciant, cuju radii non solum educandis*  
*corporibus, sed etiam moderandis animis mor-*  
*talium plurimum conferunt. Quid vero est ali-*

C

nd Iphi-

nd Iphimedea, quam pertinax & infixa in ani-  
mo cupiditas neque consilio, neque rationi ce-  
dens. Id ergo nihil aliud esse crediderim, nisi im-  
prudentes homines, quibus libido & impetus  
animi dominatur. Hæc ille quæ omnino vide.

## CAPUT V.

- |                         |                        |
|-------------------------|------------------------|
| 1. An hominum statu-    | 6. Serarii Responso.   |
| - raimminuta?           | 7. Aliærationes.       |
| 2. Opinionis aſſeclæ.   | 8. Prima examinatur.   |
| 3. Argumentorū Exa-     | 9. Cubitorum ratio.    |
| men.                    | 10. Contraria argu-    |
| 4. Locus Jos. XIV. vin- | menta.                 |
| dicatus.                | 11. Faſelli aliorumque |
| 5. Alia expositio.      | opinio.                |

**C**um de prima Gigantum origine quæ-  
ritur, haud absurdâ non nemini vide-  
ri posset opinio: Primos parentes Adamū  
Evanq̄e Giganteæ staturæ fuisse, statu-  
ramque istam decrevisse paulatim: prout  
JUVENALIS existimat.

*Et genus hoc vivo jam decrescebat Ho-  
mero*

*Terramalos homines nunc educat atq; ph-  
ilios.*

Et VIRGIL. *Æn. 12.*

*Vix illud lecti bis sex cervice subirent:  
Qualia nunc hominum producit corpora  
tellus.*

Con-

Consentient in hac opinione ESDRAS l. IV. 2.  
c. V v. 52. seqq. CYPRIANUS, contra Demetria-  
num. HIERONIMUS MAGIUS l. 1. Miscell. c. 4.  
CONIMBR. l. 8. Phys. c. 2. q. 3. & l. 1. de generat  
c. 3. PLINIUS l. 7. c. 16. VARRO apud Agellium  
l. 3. c. 10. quos vide apud LIPSIUM l. de Stoica  
Philosophia. Patres quoq; HERONYMUS, in  
cap. 27. Matth. AUGUSTINUS L. 15. c. 9. de civi-  
tate DEI. MOSES BARCEPHAS in l. 1. de Para-  
diso c. 14. JOHANNES LUCIDUS l. 1. de emenda-  
tione temporum. GENEBRARDUS in sua Chro-  
nographia. JUL. CAESAR SCAL. de Samojithis  
populis, & novissimè licet forsan non seriò  
Vir Plur. Rev. Excell. Dn. DAVID CHRISTIAN  
SS. Theol. D. Ejusdem & Mathematum olim  
P.P. Acad. Giessenæ, Dn. Patron<sup>o</sup>, Promotor ac  
olim Hoffes colendissimus, nunc vero Super-  
attendens Eccles. S. Goarens. meritissimus in  
Systemat. Geogr. L. 1. cap. 10. p. 208. seq. Quo-  
rum argumenta brevibus & modeste exa-  
minabimus. Pugnant plerique Exemplis  
partim, partim dicto Scripturæ, partim  
rationibus: Exemplis AUGUSTINUS aliiq;  
quibus facile occurritur. Cum Exempla  
specialia non faciant conclusionem gene-  
ralem. Alii dicto Scripturæ sacræ. h.e. loco  
Jesuæ. XIV. vers. 15. verba textus sunt. 4.

ושם חֶבְן לִפְנֵים קִרְיָת אַרְבָּע

C 2

הארה

הַרְבָּעִים חֶנְקֹם בְּעֵנְקָם חֶנְקָם

quæ juxta Vulgatam ita sonant : *Nomen Hebron antea vocabatur Kiriath Arba, Adam maximus ibi inter Enakim situs est.*

Verum facilis est Responsio: falsa est versio, quod patet ex textu originali, **אָרָם** enim non semper est nomen proprium, sed est appellativum significans hominem. LXX. aliter exposuerunt. *Nomen autem Ebronis, olim Arba, præcipua urbs Enakim ista.* BENED. ARIAS MONTANUS in Bibl. Ebraicis. Et nomen Chebron, ad facies (antea fuit) Chiriath Arbah. *Homo magnus (inter torquatos fuit) in Hanachim ipse.* Et JUNIUS. *Nomen autem Chebronis antea fuerat Urbs Arbahim, is homo ille maximus inter Hanakœos fuit.* Et LUTHERUS. Aber Hebron hieß vor Zeiten Kiriath Arba der ein grosser Mensch war unter den Enakim. ubi & Glossam vide.

5 BERESCHIT RABBA Kiriath Arba dicta vult, quia illa vox quatuor significat, & quatuor ibi habitaverunt viri sancti, Abraham, Eschol, Aner & Manre: Ibi profugati quatuor reges, ab Abraham: sepulta quatuor celebres femine, Eva, Sara, Rebecca, Lea: totidemque celeberrimi viri Adam, Abraham Isaac & Jacob. Vide GLASSIUM Philol. Sacrae l. III. Tract. 1. Can. XVI, n. 3. p. 417. alias .<sup>2</sup> 57. ed. FRANC. SERARIUS respondet. *Hebraicè ad verbum ita legitur: Et nomen Chebronis antiquis*

tiquitus erat Cariath Arba. Hic homo magnus  
in Enakim ipse. Quis vero hic homo? nisi de qua  
sermo fuerat Arba, & quis inter Enakim magnus  
prater Arba? Parentis primi nulla facta mentio  
neque inter Enakim is fuit, sed ante ipsos o-  
mnes, imò & ante omne quicquid usquam est ho-  
minum. sic ille. Hæc ex dissertatione nostra Phili-  
tolog. Histor. Geograph. de PARADISO, habita  
olim Giesse Cattorū Anno 1657. cap. 25. p. 63, cum  
nostra sit, jure adducimus. Vide quoque  
s. c. JONSTONUM de Naturæ Constantia Prop.  
V. Art. 2. pag. 48. qui etiam ad sequentia  
respondeat. Rationes denique Excel-  
lent. CHRISTIANI adductas, eo levius  
tangam, cum sciam, ejus assertionis rigo-  
sum asseclam non fuiscé, cum contraria hinc  
inde asserta satis hoc arguant. Verba ejus 7.  
sunt. Ita ita credant Geometrae & Geographi,  
Persuader res ipsa, cum enim aliquot populorum  
pedes inter se comparant, animadvertisunt Tole-  
tanum breviorem esse Heidelbergico, Heidelbergico  
Hetrusco, Hetrustum vetere Romano, It-  
alum Attico, Atticum Gallico, Gallicum Ægyptia-  
co &c. Cujus differentiae non prodigiosa quidem  
sed manifeste tamen & non contennenda, non  
alia illis occurrit ratio potior, quam quod, quo  
antiquior quisque pes, eo & longior sit. Sic olim  
Italis & Græcis Galli erant proctores, nunc dis-  
crimen illud non appetet, quia tum Italorum tum  
Gallorū plerig̃ à Germanis & Cimbris sunt orti.

&c. Cum ergo ex aliquot Scripturae locis colligamus, fuisse apud Hebreos tres Cubitos quorum maximus, minimo duplo major: quid obstat quo minus credamus, homines Adami & Noachi temporibus, ut decuplo μακρόβιωτέρες, ita saltem duplo proceriores fuisse, quam inde esse cœperint a temporibus Mosis? Hæc ille. Prima ratio est à pedum varietate, quæ tamen non magna est, ipso fatente, licet manifesta. Pes Græcus & Augustanus idem est, Romanus antiquus, Colotianus diëtus semiuncia major est pede Græco: Lutetianus Budæi multò major Romano est Græco: nec tamen tantò major ullus pedum, ut quovis usitato duplo major sit. Nec valet ratio; antiquiores pedes esse majores, cum Lutetianus Romano Græco: quidem major, neutiquam tamen antiquior Sic & Augustanus Romano major, nec iterum tamen antiquior. Secunda ratio desumpta 9. est à cubito Scripturae Sacrae, qui tamen non ab omnibus triplex statuitur, & quorum nullus duplo major est minimo. Agricola duplē Cubitum Hebraicum facit, unum aqualem Romano, palmorum sex: alterum palmarum septem, ut sit Cubitus & palmus, digitorum 28. unde & Palmi-Cubitum dicitur. Alii sacrum à Josepho explicatum addunt, qui sit duorum pedum Romanorum & semis, ut duo tales cubiti sint æquales passui Geometrico quinq; pedum. Refert HENISCHIUS Tractatu de Aſſe & partibus ejus p. 61.

p. 61. Nullus horum minimo duplo major est. Sic & ORIGENIS plurimum duplam proportionem excedit: unde non video, quare statuenda Adami posteriorumq; proceritas ex hoc principio. Ut taceam MUMIAS Lugduni Batavorū à me visas, eādē servare stārā cū nostra, cū tamē antiquissimæ sint. Ad- 10.  
dimus porrò nostras rationes in ipso Codi-  
ce fundatas. Prima est à speciali relatione  
de Gigantum mole in Scriptura, quam cap.  
2. e variis locis adduximus. II. Deum  
non admittere destructionem creaturæ no-  
bilissimæ, seu potius imminutionem corpo-  
ris, cum in aliis illam non admiserit III. Se-  
quitur monstrosam nostram esse staturam,  
cum non sit in legitimo naturæ ordine, vel  
si hæc nostra monstrosa non est, Adami ta-  
men monstrosam fuisse, quod tamen absurdum IV. Si Adam nobis duplo major fuit,  
decreveruntque corpora usque ad Israelita-  
rum tempus, ut nostræ staturæ fierent, re-  
liquum nobis nihil supereret staturæ: ser-  
vata mutatiouis proportione: cuius con-  
trarium tamen is novit, qui hominem, imo  
qui seipsum novit. FAZELLUS rerum Sicula-  
rum posterioris Decad. libr. 1. c. 1. p. 218, linea.  
3. Proceritatem staturæ usque ad Noachum  
ejusque posteros refert. Verba sunt: In tanto  
tamen rerum humanarum discrimine, solum ex  
Gigantibus Noa (quem Janum fuisse Berosus  
refert) C 4

II.



refert) pium atq; inter tot enormia vitiorum  
monstra invictum, tribus cum filiis Semo, Japhe-  
to, & Chamo, ac sua filiorumq; uxoribus, ad resti-  
tuendum post cladem genus humanum, servari  
placuit. AUGUSTINI verba sup. cap. 2. adduxi-  
mus, ubi vide. NAUCLERUS & BEROSUS teste  
H. MURIO L. I. Rerum German. Tuisconem Gi-  
gantem fuisse asserunt.

## CAPUT VI.

- |                           |                         |
|---------------------------|-------------------------|
| 1. De Habitatione Gi-     | ii. Quomodo in Nor-     |
| gantum.                   | wegiam venerint.        |
| 2. Sicilia Incole.        | 12. Modus monstratur.   |
| 3. Aliis alibi habitarūt. | 13. Lingue Hebreæ apud  |
| 4. Contrariū asseritur.   | Norwegos reliquie.      |
| 5. Palæstinam incolue-    | 14. Fazellus allegatur. |
| re.                       | 15. In Germania exti-   |
| 6. India Insulae Gi-      | tisse probatur.         |
| gantes habent.            | 16. Modus habitandi.    |
| 7. De Migratione Gi-      | 17. Montium incole.     |
| gantum.                   | 18. Antra habitarunt.   |
| 8. In Norwegiam mi-       | 19. Ad declivia mon-    |
| grarunt.                  | tium venere             |
| 9. Probatur è Saxone      | 20. In planicie ERRAR-  |
| Gram.                     | RUNT.                   |
| 10. Alia argumenta.       |                         |

I. **N**unc habitationem terrasque Gigantum scrutabimur & explorabimus. Præmittimus Poëtas, ut levioris armaturæ mili-

m  
e  
i  
r  
i  
te  
i  
  
milites, tentent illi, an fugare hostem pos-  
sint, victis his Triarios substituemus per  
spatia VIRGILIUS in *Etna* in Siciliam locat  
Gigantes, usosque fornacibus illis *Etnæis*:  
verba sunt & versus:

*Illis Cyclopas memorant fornacibus usos.*

*Cum super incudem numerosa in verbera fortes,  
Horrendum magno quaterent sub pondere ful-  
men.*

Etl. 3. *Aenid.* v. 568.

*Fessos ventus cum Sole reliquit,  
Ignariq; niae, Cyclopum allabimur oris.  
Portus ab accessu ventorum immotus, & ingens  
Ipse, sed horrificis juxta tonat *Etna* ruinis.  
Quod ex HOMERI *Odyss.* l. 9. desumptum est  
verba ejus in latinum versa sonant. h. m.  
Hinc ultra uavigamus, tristes corde, Cyclopum-  
que ad terram superborum exlegumq; venimus.  
&c. Huc quoque facit EURIPIDIS ille Dialo-  
gus, dictus *Cyclops* inter Ulyssem & Silenum  
quem Cræcum quidem, brevitatis studiosi  
tamen in Latinum versum adducemus.*

U1. Quæ hac est terra & quinam eam habitant?

Sil. *Etnæus* est tumulus Siciliae altissimus.

U1. *Mania* verò ubi sunt & urbis turres?

Sil. Nullæ sunt, tumuli isti sine hominibus sunt  
hospes.

U1. Quinam verò hanc habent terram, estne  
aliquid genus ferarum?

Sil. Cyclopes antra habentes, non tecta do-  
morum.

C 5

U1.

U1. Cui parent? an populare est imperium?

Sil. Vagi sunt Pastores, nec ullus alteri ulla in  
reparet.

3. Alii ad Phlegraos campos, alii ad Pallenem  
restringunt, quod Isaciū probat. Quidam  
Pitheciās vocatas Insulaſ Gigantum fuisse  
putarunt, atque in Phlegrāis agris commis-  
sum fuisse prælium, qui locus est pagus in  
4. Thracia. Historici tamen terram totam  
Siciliæ Cyclopibus tribuunt. PHIL. Cluv.  
*Introd. in Geogr. lib. 3. c. 42.* Incolas habuit Sicilia  
primos Cyclopas, & Læstrigones, id est, Gigan-  
tes, Gentes barbaras & truces, ut historiis ac fa-  
bulis ossa in amania passim in Insula reperta fidem  
faciunt. FAZELLUS *Decad. post. l. i. c. i.* proli-  
xius quam hoc transcribi potest, Gigantes  
Siciliæ Incolas facit. Sed an indigenum an a-  
liunde, atq; unde tandem in Siciliam hoc homi-  
num Genus ad vētūm, sedem sibi Insulam dele-  
rit, Scriptorum nec dum satis discussa decisaque  
est opinio. Trogus namq; & qui cum eo sentiunt,  
Siciliæ indigenas & ex se oriundos tradunt. Di-  
dymus autem aliq; & plures autores Græci, genus  
esse Threicium & subinde varias incoluisse Regio-  
nes, & imprimis Curetida quæ Acarnania, atque  
inde in Siciliam advenisse contendunt. Proinde  
si ad judicium fides est redigenda ab Armenia eos  
in Siciliam primum advectos liquet. Hæc ille de  
Gigantum horum migratione, in Siciliam  
usq;: Sed contenti his non sumus, nec possu-  
mus

mus esse. Siciliam habitarunt Gigantes sed  
non solam. Palæstinam incoluisse is negabit, 5.  
qui Codicē non legit sacrum X. Gen. XIV.  
5. notanter de loco habitationis Gigantum  
scribitur. Percusserunt Rephaim in Astaroth Car-  
naim & Zuzim cum eis in Ham & Emim in Sæve  
Ciriathaim. ( Save Lutherus reddit in dem  
Felde. ) Mentio fit Rephaim & Emim, qui  
habitarunt ad montes Galaath, vicini Da-  
mascenorum & Phœnicum, ut ex antiquis  
Cluverii tabulis appareat. Horum vicini Am-  
monitæ, quorum terra etiam reputata est pro  
Gigantum terra. Deut II. 20. expressius, Item.  
c. III. v. 13. quænam Gigantum terra fuerit  
dicitur. Reliquam partem Galaath & omne Ba-  
san Regni Og, omnem Regionem Argob, cuncta-  
que Basanhæc, vocabatur terra Gigantū. Et quid  
multis? Num. XIII. tota Palæstina pro terra  
Gigantū reputatur. Vidim⁹ enim Gigantes ibi.  
Præterea & in aliis terris Gigantum genus  
inventum quis ambigat? AMERICUS VESPUS-  
TIUS secundo itinere, in America Insulam  
invenit Gigantum, | verba describentis  
GOTFRIDI in Historia Antipodum. 5. West-  
Indianischen Historien anderen Theil pag. m.  
225. de Anno 1409. sunt hæc: Wie sie nun anff  
dieser Insul nichts bekommen mochten / zogen  
sie von dammen und kamen in eine andere In-  
sul / und weil sie anfangs keine Leute vernah-  
men / meyneten sie / daß sie ganz unbewohnet  
seyn

6.

seyn müste/ da sie sich aber aufs Land begaben/  
wurden sie im Sand etlicher grossen Fußsta-  
pfen gewahr/daraus sie vermuthen kontē/wie  
in dieser Insul grosse Leute und Riesen wohnen  
müssten; welches sich den nachmahls außgewie-  
sen/ dann als ihrer neun einen Weg nachgan-  
gen/in Meynung frisch Wasser zu finden/kom-  
men sie auff eine Meilweges zu fünf Häusern/  
darinnen sie zwey grosse Weiber mit dreyen  
Mädchen antraffen/darüber sie sich heftig ver-  
wundereten. & paulo post. Da kahmen in die  
36. nackende Männer / welche ein groß theil  
grösser als die Weiber waren / und am Leib so  
wohlgestalt / daß es wohl zu sehen war. & i-  
terum: Diese Insul nennen nachmahls die  
Spanier der Gigantē/oder Riesen Insul; weil  
sie diese grosse Leute daselbst angerroffen hat-  
ten. Idem GOTTERI DUS in Capo de S. Hele-  
na olim fuisse Gigantes staturæ procerissi-  
mæ narrat, parte 1. p. 87. Die Landsleute sagen:  
daß vor alten Zeiten / grosse Leute über Meer  
auf Flossen dahin kommen sind / welche mit den  
Unterschenkeln vom Fuß an bis ans Knie die  
gewöhnliche Mans-Länge noch übertroffen  
haben / und finden sich noch anjego überaus  
grosse Menschen-Beine in diesen Orten und  
Stücke vom Rückenbacken so vierzehn Unzen  
wegen. &c. Ad fluvium Maravvin Moreshe-  
go. Civitas Gigantium est. Und wie Herr  
HARCOURT erzählt / so seynd solche Inwoh-  
ner

ner viel grösser als die andern Einwohner in  
Guivana : tragen auch nach dem sie über alle  
maß groß und lang seyn / sehr grosse Bogē und  
Pfeile. Wie andere Indianer referiren / sol-  
len sie viernahl grösser seyn / als sonst die Ein-  
wohner in gemein. Id. part. 1. pag. 162. Sasque  
Sanahoki ad fluvium Bolis (à Bolo Armeno)  
Gigantes sunt quorum & staturam & vesti-  
mēta idē GOTTFRIDUS part. 1. p. 125. tradit, de  
voce verba addam. Ihre Stimme lautet als  
wenn sie aus einer tieffen Hölen herkommen /  
ja wie ein grosser Echo und starcker Wieder-  
hal. In Provincia Patagonum dicta, Gigan-  
tes habitare MAGELLAN⁹ expertus est. Ver-  
ba GOTTFR. part. 2. p. 244. sunt. Eines Kie-  
sen daselbst am Ufer ansichtig worden / der so  
groß gewesen / daß ihm die Spanier kaum an  
den Gürtel gangen / nachmals haben sie noch  
einen 10 schuh hoch gefangen / welcher ein  
Korb voll zwey backen Brod auff einmal auff-  
fräß / und einen halben Eymer Wasser in ei-  
nem Althem auffsoff. Sed sufficiāt hæc de Gigā-  
tum habitatione : nunc de Migrationibus  
quoque paucis. ARNGRIM JONAS. Crymo-  
gea seu rerum Islandicarum L. 1. c. 4. scribit,  
Arctoi orbis primos Incolas Gigantes  
fuisse. Ajo sancē inquit, primos Arctoi orbis  
incolas fuisse Gigantes. Et certè non sine ratio-  
ne testibusque dixit : SAXO GRAMMATICUS  
in Praefatione Danie lux ita scribit, Danicam  
verē

7.

8.

9.

verò Regionem Giganteo quondam cultu exercitam eximiæ magnitudinis saxa veterum bustis ac specubus affixa testantur. Quod si quis vi monstrosa patratum ambigat; quorundam montium excelsa suspiciat dicatq; scilicet, quis eorum verticibus cautes tantæ granditatis invexerit? inopinabile namq; quiris miraculi hujus estimator advertet, ut molem super plano minimè aut difficile mobilem, in tantum montane sublimitatis apicem, simplex mortalitatis labor, aut usitatus

10. humani roboris conat<sup>o</sup> extulerit. Ubi ARNGRIM addit nonnulla Gigantum in Norvvegia exempla & recentiora quidem, de Doffrone Gigante (Christopherum existimo quem abbreviatè Toffer & Doffer vocant,) de Dumbone (qui forte Dūslavius vel Dubslavius quod Septentrionalium familiare nomen.) à quo Sinus Botticus vel Bothnicus olim Dumbshaff dictus est. (Fortassis Dubislavs Haven seu portus.) qui Naumachia solus cum 18. Gigantibus configens 12. eorum interfecit: deque plurimis aliis, quos ibi vide, ne alienâ operâ nostras compleamus paginas. Addit nomen Provinciæ conterminæ Norrvvegiæ seu Finmarchiæ, quæ Riesaland dicta est. It. Jötum Hemar. i.e. der Jöten Hemat. Jöt enim Gigantem significat, qui & Kämpper dicti h. e. atlethæ. Unde constat sufficienter Norvvegiæ Incolas Gigantes fuisse. Unde a. venerint

rint merito quæritur ? & brevibus ut aga-  
mus, è Canaan venisse dicimus. Non enim  
omnes Canaanæos imperfectos ab Israëlitis

PROCOPIO placet, quod & ex Scriptura Cod.

JOSEPHO aliisq; patet: *Cananæi enim cū in ex-*

*pugnabilem viderent advenarum exercitum*

*Patrios fines deserentes in Ægyptum vicinam*

*migrarunt, ibique numero ac Sobole crescentes,*

*cum non satis commodum tanta multitudini*

*locum invenissent, in Africam penetravere. Ita*

PROCOPIUS, qui addit: *in Numidia Civitatem*

*Lingen edificasse, ubi duæ ex lapide albo colu-*

*mna, propè magnum fontem constitutæ, in qui-*

*bus Phœnicum lingua literæ sunt ejusmodi:*

**NOS SUMUS CANANÆI QVOS FU-**

**GAVIT JESUS LATRO.**

GENEBRARD<sup>o</sup> Chron. l. i. p. 35. in Germaniā

devenisse asserit Horum reliquiae, inquit, tra-

duntur migrasse in Germaniam, Sclavoniam &

regiones vicinas. BODINUS method. inf. c. 9. ait.

Cananæi ex agro Palæstino ab Hebreis ejecti in

Illyricum & Panoniam migrarunt: quæ invi-

cem sibi contraria non sunt: PROCOPIO e-

nim in Numidiā migrarunt. GENEBRAR-

DO in Germaniam, BODINO in Pannoniam,

non uno eodemque tempore: Ex Ægypto

enim in Numidiā venere, inde navigato

mari in Siciliam, & Hispanias, trans navi-

gato Fr. Gibraltar, ex Sicilia in Italiam,

inde in Hungariam vel Germaniam

quæ

II.

12.

quæ ex inspectione tabulæ commode apparent. Ex Germania ad Jötlandos, Danos, Svecos, Norvvegos &c. pervenisse absurdum nō est; Asportata secum ut probabile est parte quadam linguaꝝ suꝝ, quæ hinc inde elucere videtur, in monumentis vetustioribus. De Nephil Heimar ARNGRIMUS 1.c. & Carnephil dicit, se aliis scrutantum relinquere. Quid absurdī esset, si mistum nō men dicemus, scil. Der Nephilim Hemat seu patria. Idē. Gotthos & Gëttos, qu. Jöttos, h. e. Riesen / qui & Jötten dicti, appellatos existimat, liberā sane, nec absurdā tamen conjecturā. In Siciliam diximus ē Numidia migrasse Gigantes: FAZELLUS testis est

14. supracit: Proinde si adjudicium fides est redigenda ab Armenia eos in Siciliam primum advenitos liquet. Quod præter Mosen, Berosus aliique fidelissimi, vetustę hujus originis, illorumque Scriptores temporum ab humana clade historiam exorsis, palam posteritati contestatum reliquerunt: In Germania Gigantes

15. extitisse plurima adhuc Documenta assertionem hanc probantia, extant: Præter illa namque c. 2. adducta, hoc addo de WORMATIENSI GIGANTE, quē CORNEUS SIGFRIDUS vicit superavitque: Corneus dictus est, quia tota cutis cornu obducta erat. Serpentes enim vermesque magnos collegit, isto ubi nunc Wormatia sita est, loco, (unde &

de & nomen habet) cremavitque, unde ri-  
vulus fluxit, (Vulgi hæc traditio est, sed nec  
historiæ dissentire videntur, licet alia atq;  
alia facie.) quo tacto digitus Sigfridi cor-  
neus factus: quo viso totum lavavit isto hu-  
more corpus, quod itidem cornu obdu-  
ctum, corneo Sigfrido nomen dedit, qui  
postmodum cum Gigante pugnam iniit,  
redemitque captivam Regis filiam. Habe-  
mus loca habitationis & migrationes: 17.  
nunc paucis habitandi modum describe-  
mus. Authorum operâ Cyclopas montes  
habitarunt primum, ubi terræ admisit ra-  
tio & situs, idque ob recentem diluvii memo-  
riam, teste FAZELLO post Decad. l. i. c. i. p. 219.  
ne eandem aquarum vim, qua sui maiores fue-  
runt obruti, experientur. HOMERUS Odis lib.  
9. testatur idem, verba sunt vertente CLU-  
verio:

- *Celsorum montium inhabitant cacumina.*

Qui alibi Gigantem Monticolam vel  
montanum appellat.

*Infandi Cyclopes-altis montibus errant.*

& v. 655.

*Vix ea fatus erat, summo cum monte videmus  
Ipsum.*

Sic & illi, qui Arctoum orbem occupa-  
runt, monticolæ fuerunt, teste ARNGR. JONAS  
SAXONE GRAMMATICO, cujus verba <sup>sup. hoc c.</sup>  
adduximus.

D

m

18. In his in montibus antra habebant, & cavernas, seu speluncas, in quibus se se ab omni cœli injuria tuebantur. HOMERUS l. c. addit.

*In Speluncis cavis.*

Et VIRGILIUS Lib. 3. v. 617.

*Vasto Cyclopes in antro*

*Deseruere.*

Ubi cadavera Gigantum inventa fuerint,  
supra cap. 2. vidimus: quo B. L. remitto. Po-  
lyphemus specus, & Ulysseis portus, ad Aetnae decli-  
via antiquitatis clara sunt vestigia. FAZELLUS.

Subinde tamen vitæ incultioris tædio, reli-  
ctis silvestribus jugis, per montium declivia  
descendentes & ad ima specus sibi effodi-  
entes, ibi habitare cœperunt, ut, si ab iis lo-  
cis periculum immineret, facile ad editiora  
refugium pateret. Hinc conciliantur Poë-  
tarum dicta, quæ contraria sibi videntur cū  
semel in montibus, semel in planicie habi-  
tasse, vel ad radices montis scribunt. Mox

enim crescente societate, & corroboratis  
animis, immunitaq; nonnihil veteris pres-  
suræ memoria, ad patentes Insulæ campos  
latasq; planities, ampliores firmioresq;  
sedes transtulerunt. Postremo autem omni  
abolito metu, camposque egressa audacia,  
in littoralibus locis consederunt, & per la-  
ta tandem maria exspatiati navibus. &c. Hæc  
FAZELLUS. Inde combinat VIRG. lib. 3. v. 653.

Cen-

Nay

ca-  
nni  
  
Centum alii curva hæc habitant ad littora, vulgo  
Infandi Cyclopes & altis montibus

ERRANT.

CAPUT VII.

- |                               |                                |
|-------------------------------|--------------------------------|
| 1. <i>Varia traduntur.</i>    | 8. <i>Unde Ætnæ ignes?</i>     |
| 2. <i>Gigantum statura.</i>   | 9. <i>Indiae Gigantes tru-</i> |
| 3. <i>Admirandus Augu-</i>    | <i>cidantur.</i>               |
| <i>stini Gigas.</i>           | 10. <i>Macirobius inter-</i>   |
| 4. <i>Serpentinos pedes</i>   | <i>pretatur.</i>               |
| <i>habent.</i>                | 11. <i>Natalis Comes idem</i>  |
| 5. <i>Alia illis tribuun-</i> | <i>facit.</i>                  |
| <i>tur.</i>                   | 12. <i>Brontes, Steropes,</i>  |
| 6. <i>Quomodo trucidati.</i>  | <i>Pyracmon.</i>               |
| 7. <i>Typhæus describi-</i>   | 13. <i>Moralia.</i>            |
| <i>tur.</i>                   | 14. <i>Christi incarnatio.</i> |

**V**aria variis hæctenus capitibus de Gi-  
gantibus tradidimus, varia jam uni-  
co hoc trademus capite, quo dissertatio  
nostra finienda. Staturæ proceritatem *cap.*  
1. *in nonnullis Gigantum corporibus ostendimus, unde idem repetere supervacaneum censemus.* Unum addo de AUGUSTINI Gi-  
gante, servata corporis proportione, statu-  
ram ejus fuisse 300. ulnarum circiter, si tres  
ulnas homini tribuas nostræ staturæ. Dens  
enim tantus, ut 100. inde fieri possent. Fuit itaq;  
caput Gigantis 37cū duab' quartis ulnarū,  
Nasus 12 cū duab' quartis: ejusdē magnitudi-

D 2 nis

nis Os quoque fuisse. Passibus 40. absolve-  
ret milliare commune Germanicum. Ilio-  
rum quantam credis magnitudinem fuisse?  
nec exiguum tibi velis imaginari , 2100. ul-  
narum fuisse , constanter me Authore cre-  
das. BAUHINUS enim Medicorum Clarissi-  
mus, testatur septuplo majora esse Ilia quā  
ipsum corpus. Quæ an fidem mereantur B.  
L. videat: Ego vix credo. Serpentinos pe-  
des his affingebant Poëtae. VIRGILIUS in  
*Ætna.*

*His natura sua est, alvo tenus ima per orbem*  
*Squameus intortus sinuat vestigia serpens.*  
OVIDIUS. lib. 5. Faſtor.

*Pro cruribus angues.*

Idem c. l. mille manus tribuit :

*Mille manus illis dedit.*

5. Viribus describūtur invictis, terribili aspe-  
ctu, capillis à capite promissis, barbâ pro-  
lixâ, ut VIRGILIUS:

*Monstrum horrendum informe ingens - -*

*Bella mayisse in Deos dicuntur, imposuisse*  
in Pelion Ossam, Olympum , ut cœlum af-  
cenderent.

NATALIS COMES versus HOMERI reddit h.m.

*Prægrandes montes ut cœlum posset adiri*

*Involvere Ossam frondosum , mox & Olympum*

*Cum Sykis stabulisq; super te Pelion altum.*

Complectitur hæc omnia ISA CIUS his v.

Terra

Terra res gestas adversus Titanas agrè ferens, in  
Phlegris & allenēs, anguineis pedibus eximieg̃, or-  
nitos & barbatos Gigantes peperit, qui Saxa,  
quercusq; flammatas jacutatis sunt in cœlum, quo  
rum Principes erant Porphirio & Alcyoneus  
OVIDIUS iterum L.5. Fast.

Terraferos partus immania monstra Gigantes  
Edidit, ausuros in Jovis ire domum,  
Mille manus illis dedit & pro curibus angues;  
Atque ait in magnos arma movete Deos  
Extruere hi montes ad sidera summa para-  
bant,

*Et magnum bello sollicitare Jovem.*

Trucidati tamen fugatique Gigantes à Jo- 6.  
ve ejusque sociis. Erat enim rumor inter  
D E O S, nullum è Gigantibus posse occidi, nisi  
quispiam è mortalibus in ejus belli societatem  
fuisset assumptus: Tum Jupiter Palladis Consilio  
Herculem assump̃it, qui primus Alcyoneum sa-  
gitta confossum intererit. Alii ab aliis fuga-  
ti trucidatique; omnes tandem interierunt.  
Thyphœus, qui omnium maximus, quippe qui  
omnium montium altior erat vertice vel cru-  
rum tenuis: Caput astra rangebat: altera ma-  
nus ad Orientem, ad occidentem altera tende-  
batur. Ex humeris centum capita Draco-  
num eminebant. In cruribus maximas ha-  
bebat viperarum spiras.

7.

In

8. In hunc tandem Jupiter Aetnam montem  
jecit, qui pro monumento huic est. Os ejus ignem  
spirat, unde Atna ignes. Ex NAT. COM. hinc  
inde collecta, que in singulari de Thyphao vi-  
de capite. VIRGILIUS in Aetna.

Morientem Jupiter Aetna  
Obruit Enceladum, vasti qui pondere montis  
Aestuat & patulis exspirat fauibus igneis.

Quem de tota hac uberius vide fabula.  
Cum tota Sicilia tribus promontoriis clau-  
datur; tota supra ejus Corpus posita est;  
cujus supra dextram situs est Pelorus, Itali-  
am prospectans, supra levam Pachynus; su-  
pra crura Lilybeus, caputq; Aetna gravatur.  
Inde POETA.

Nititur ille quidem pugnatq; resurgere scepè;  
Dextra sed Ansonio manus est subiecta Peloro;  
Leva Pachyne tibi, Lilybeo crura premuntur,  
Prægravat Aetna caput.

2. Miram Gigantum trucidationem LEVI-  
NUS APOLLONIUS Gandoburgensis Middelbur-  
gensis de rebus Gestis Peruvianis L. 1. p. 19. 20.  
narrat cū enim de statura noñnulla præmi-  
fit, addit sequentia. Incolæ de eorum morte  
horrenda commemorant. Venisse Cœlo juvenem  
solis instar rutilantem, cumque in hos ignes ac  
flamas, que ipsas penetraverint rupes, ejacu-  
latum esse, per sequentemq; internecione dele-  
uisse. Hec initio profabulus habita sunt, quoad  
Joannes Helmus Veteris portus præfetus, his  
rebus

rebus perceptis admirabundus in loco fodâ  
jusit &c. Vide ib. plura.

Mira Poetarû involucra revolvenda, bre-  
vibus tamen. MACROBIUS l. 1. Saturn. c. 20.  
Gigantes quid alius fuisse credendum est,  
quam hominum quandam impiam gentem,  
Deos negantem : Et ideo existimatam De-  
os pellere de Cœlesti sede voluisse. Horum pe-  
des in Draconum volumina desinebant: quod  
significat, nihil eos rectum, nihil superum, cogi-  
tasse, Totius vitæ eorum gressu atque processu  
in inferna mergente. Si tamen Physicam respi-  
cimus, Gigantes nihil aliud sunt, quam Spir-  
itus illi terra clausi; qui dum exitum non inven-  
niunt, sibi viam montibus altissimis concusis  
faciunt, adeò ut rumpantur, & ingentia  
frusta emittant contra Jovem h. e. Cœlum ver-  
sus. Hinc illa pugna Gigantum, montes in  
Jovem moventium, vetusta, dicta Gigantom-  
achia. Similia Physica habet NATALIS  
COMES. L. X. Cyclopas dixerunt esse vapores  
è quibus fulmina & fulgura & tonitrua nasce-  
rentur & fierent: neque vero vapores  
illí, nisi per calorem Solis, in aera possunt ex-  
tenuari, qui partim è mari, partim è terra ex-  
trahuntur. Fiant autem frequentes vapores eo  
tempore, quo fieri solent fulmina, hi postea in  
sublimi vi Lunæ condensati, à superiore frigo-  
re detrahuntur. Audiamus & FAZELLUM,  
Fabulam de Armorum fabrica, deque  
Bronte &c. Poetarum fabule vicinas Si-

10.

II.

12.

cilic

bilia Insulas Vulcanias, atque Vulcani officinas, & Cyclopēt operis ejusmodi ministros fuisse, ac Jovi fulmina ac telum fabricasse, non adeo absurde, quanquā Pōetice commenta sunt.  
Quibus cum insuper ad rem accommodatisimā nomina indiderint, qualia sunt Brontes, Steropes, Pyraconon & id genus alia, communī eorum arti, non modo nihil detraxisse, sed lucis etiam non parum addidisse videntur. Nam Brontes, tonitrum, quod ex incude malleis verberata resultat, Steropes fulgore mexincendio natum, & Pyragmon calentem incundem significat. Moralem quoque Fabulæ explicationem N. C. addit. Gigantum fabula, inquit, illorū arroganciam deprimit, qui confisi suarum virium magnitudine, vel religionem Deorum, vel Deos ipsos parvifaciunt. Alias omittimus, & unam adhuc addimus nostrā. Assumendum esse unum ex mortalibus in societam Deorū, rumor inter Deos fuit, ut supra commemoravimus. Quid si his, & sequentibus ibi verbis, Christi Incarnatio à Diabolo, qui Dei audit simia, elusa? quod conferenti patescat. Gigantes Dæmones dicamus: Herculem Humanam Christi naturam &c. & aberrare nos parum existimamus. Nunc finem facimus, cum omnia de Gigantibus enarrare nec velimus, nec possimus, cùm instituti ratio id non admittat.

D. G.

Ung JA 139

ULB Halle  
002 265 419

3




sb.

VDR Y

-7-

L  
C





B.I.G.

Farbkarte #13

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black										
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

ברניא נְפָרְלִיּוּם

seu de

## GIGANTIBUS

DISSERTATIO

HISTORICO PHILOLOGICA;

Occasione variorum Scripturæ Locorum,

Gen. VI. v. IV. Deut. XIII. v. XXXIV.

Josuæ XIV. v. XV. &amp;c.

Quam

IN INCLUTA WITTEBERGENSIUM

ACADEMIA

PRÆSIDE

Amplissimo atq[ue] Excellentissimo,

V I R O

DN. ANDREA SENNERTO

Ling. Oriental. P. P. celeberrimo,

Dn. Patrono, Promotore, & H[ab]e[re] co-  
lendissimo,

ventilandam publicè proponit,

M. CONRADUS TIBURTII RANGE

Colbergâ-Pomeranus.

Ad diem horis solitis

In Auditorio Majori.

\*\*\*\*\* Litteris Hæredum MELCHIORIS OELSCHLE-

GELII ANNO M. DC. LX.